


† R. P. Bernardus Licking (1871-1952)

(Prov. Balt.)



Mew Smyrna 3-1-1950

operationem Philadelphiae in nosocomio S. Mariae 17 Jul. 1952.

Bernardus L. Neo-Eboraci natus est 20 Sept. 1871 et in nostra S. Alfonsi ecclesia baptizatus. Vocationem ad S. Alfonsi familiam eo facilius sentire poterat, quod eius frater natu maior Gulielmus, sed ex alia matre genitus, iam antea eandem viam elegerat. *William Lücking* (sic nomen suum scribebat; vide *Acta Capituli a. 1909*, p. 6) fuit unus ex magnis Provinciae Baltimorensis Moderatoribus, Fundator Missionis Portoricensis; mortuus est in Esopus 20 Ian. 1912, annos natus 54.

In RIS, p. 138, refertur P. Bernardum Licking versus finem superioris anni, octogenarium, audacter longum iter ex America in Europam suscepisse; erat quoddam praemium bono seni a Rev.mo P. Generali oblatum in occasione adamantini iubilaei professionis. In Europa tamen Iubilarius noster noluit visitare Germaniam, suorum avorum patriam, nec Neapolitanam regionem. Contentus erat videre Almam Urbem et duo sanctuaria BMV celeberrima Lourdes et Fatima. Tunc certe non praevidebat sibi iam post dimidium annum alterum magnum iter faciendum esse in aeternitatem. Mortuus est enim, tranquille et pacifice, ut semper vixerat, post strangulatae herniae

Bernardus suam formationem recepit primum Neo-Eboraci in paroeciali nostra schola S. Alfonsi, deinde in iuvenatu North East, tum in novitiatu Annapolis, Magistris Henrico Dauenhauer, intra illum a. 19 Jul. 1891 e vivis sublato, et Gulielmo Brick. Ilchester erat tunc domus studiorum superiorum, ubi Fr. B. Licking 9 Apr. 1896 ab Em.mo Cardinali Gibbons recepit sacerdotalem ordinationem. In Annapolitano collegio etiam secundum novitiatum peregit sub pri- stino Magistro P. Brick.

In foliis Provinciae Baltimorensis *C.S.S.R. Chronicle*, Aug. 1952, p. 19, accurate enumerantur sex communitates, quibus P. B. Licking usque ad me- dium annum 1921 plus minusve diu adscriptus fuit. Dicto anno, interim factus quinquagenarius, vocatur ad regendas per bina triennia primum domum Buf- falensem, tum Neo-Eboracensem (Bronx), dein Philadelphiensem S. Bonifatii. Tempore sui rectoratus animi sui bonitatem suique Instituti amorem clare osten- dit generosa hospitalitate etiam iuvenistis nostris vicini collegii North East oblata; item fundatis variis *burses*, qui vocantur, in iuvenatu et studentatu et oblatis pinguibus donis pro nostris Missionibus exteris.

Insequenti octennio 1939-1947, ergo annis alterius magni belli, P. Licking a P. Rectore Maiore vel maius fiduciae signum consequitur, nominatus Consultor Provincialis. Comitans suum Provinciale tunc Vice-Provincias de San Juan et de Campo Grande visitavit indeque scripsit longas epistolae, nunc in archivo Provinciae diligenter adservatas, quae futuris nostris historiographis gratissimae erunt. Etiam confratres Provinciae tempore belli extra claustra degentes suis numerosis litteris sincera caritate saturis confortabat. Tandem a. 1945 nomine supremi Moderatoris Instituti invisit Provinciam magnam S. Ludovici cum Vice- Provincia de Oakland.

Mense Augusto 1947 carus senex transfertur Philadelphia ad S. Bonifatii. Pergit, quantum potest, sueto suo zelo in paroecia laborare. Nisi robustae fuisset valetudinis, illud iter Romanum aggredi non esset ausus; sed iam in Urbe et magis in redditu arthritide laborare coepit. Mense Iulio, degens qua hospes in domo West End, in scalis cecidit. Ad nosocomium delatus est ad examinandum, ibique reperta illa hernia strangulata, quae eum conduxit ad chirurgi cultellum indeque ad mortem, ut iam initio dictum est.

P. Bernardus Licking magna perfecit, non praedicando missiones vel scri- bendo libros, sed constanter suis officiis domi bene implendis intentus. Praeter eximium eius amorem Instituti iam commemoratum et animi bonitatem comi- tamque (apparebat quasi semper subridens) efferre oportet eius spiritum oratio- nis, quam ut omnis genuinus filius S. Alfonsi usque ad finem demonstravit et quo in ultimo itinere ad illa loca apparationibus BMV sacra ta suum comitem R. P. Iosephum Gredler tantopere aedificavit. Etiam in lecto mortis, post pri- mam operationem nocte 12 Iulii factam, brevibus illis momentis, quibus sui conscius erat, solebat indicare Crucifixum, suarum aspirationum metam, eumque frequenter deosculari, R. I. P.